

rit, qua ostendatur humanos animos ante corpora extitisse? Et quidem cum humanus animus regendo corpori accommodatus sit atque destinatus, longe verisimilius est ipsum tunc solum a Deo creari, cum corpori conjungi debet.

III. Per rationem solam demonstrari non potest, vel saltem haecenus demonstratum non est, mentes humanas a Deo creari & corpori conjungi eo momento, quo formatum est. Præterea non potest acurate judicari, quo tempore formatum sit corpus, neque etiam ratione sola invicte determinatur utrum in corpore imperfecto mens aliquandiu fuerit, nec tandem quo momento corpori perfecto conjungatur, potest definiri.

Varias de animarum origine opiniones dubitanter proponit S. Aug. his verbis: *Harum autem sententiarum de anima utrum de propagine veniant, an in singulis quibusque nascentibus mox fiant, an in corpora nascentium jam alicubi existentes vel mittantur divinitus vel sua sponte labantur, nullam temere affirmari oportebit; aut enim nondum ista questio a divinorum librorum catholicis tractatoribus pro merito suæ obscuritatis & perplexitatis evoluta atque illustrata est, aut si jam factum est, nondum in manus nostras hujusmodi litteræ pervenerunt.* Verum in hac questione, quæ S. Augustini temporibus libere propugnata fuit, hoc hodie de fide certo tenendum est, animas non a parentibus generari, sed a Deo immediate creari & corporibus, quibus conjunguntur infundi.

Inst.